



**R. P. Thomæ Comptoni Carleton, Cantabrigiensis,
Societatis Jesu, In Collegio Anglicano Leodiensi Sacrae
Theologiae Professoris, Cursus Philosophicus Unversus**

Carleton, Thomas Compton

Antverpiæ, M.DC.XCVII.

Præfatio Ad Lectorem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95656](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95656)

PRÆFATIO

A D

LECTOREM.



Disciplinas omnes & scientias nostro hoc saculo, hâc in parte felicissimo, ad eum perfectionis apicem eruditissimorum hominum operâ per-venisse cernimus, ut nulla iis fieri videatur posse accessio. Super sedendum proinde ulteriore disquisitione nonnemini videbitur, calamusq; opinor, veluti re confectâ, ad aram appendendus, aut Herculis columna ad artes omnes, quasi ultrâ procedi nequeat, desigenda. Decus res se habet, nullaque in re magis quàm præsentē, ubi spatiosus adeò aperitur discurrendi campus, ut nullus terminus præfigi, nulli præscribi limites queant. Par omnibus ingenijs theatrum est Philosophia: in quâ quantumvis feliciter desudarint multi, illamq; acutissimis juxta ac eruditissimis lucubrationibus illustrarint, non tamen ita partibus eam omnibus expletam, suisq; absolutam numeris reddiderunt, quin excoli in dies magis, novisque augeri incrementis possit. Veritas quippe, rerumq; naturalium notitia, cujus indagatrix est Philosophia, ita abstrusa est & latens, ita eam in nodos quosdam & anigmata Sphinx Natura conclusit, ut quamvis multorum jam annorum spatio à pluribus, ut eam eruerent, fuerit laboratum, magnâ tamen ex parte etiamnum restet eruenda. Sequimur omnes, quotusquisque est qui assequitur. Quâ de causâ non incitè Antiqui Veritatem in profundum aliquem puteum aufugisse, ibiq; latitare dicebant, seque mortalium oculis subduxisse. Nec ergo ijs, in quorum hac manus pervenerint, ingratam, nec Rei literariæ inutilem me operam navaturum existimaui, si annorum plurium labores, quos in hisce commentarijs, veritatis indaganda causa conscriptis posui, in lucem proferrem, maxime, cum non quæstiones tantum variæ, sed tractatus etiam integri hîc reperiantur, de quibus hætenus nemo, quod sciam, scripsit, quos Philosophiæ, rerumque naturalium cognoscendarum studiosis, non exiguam allaturos lucem, & ad optati finis consequutionem non mediocri futuros adjumento sperem.

Adde, ipsam etiam per se varietatem placere, sententiarumque diversitatem, plurimumque ad scientiarum adeptionem conducere: ex mutuo enim diversa opinantium occurſu & concursu, dum hi unam, illi aliam partem tinentur, varijsq; adductis rationibus, & suæ stabilire fundamenta sententiæ, & aliena convellere nituntur, res etiam obscurissimæ paulatim evolvuntur, seque intuentium veluti oculis subjiciunt: ut enim ex silicū collisione ignis, ita ex ingeniorum inter se commiſsione veritatis scintille promicant.

In plerisque ergo à communi jam & trita in Scholis procedendi ratione dissentio, maxime in Dialectica, aliaque incedo via, quæ & verior mihi semper, & ad gravissimas tum in Philosophia, tum Theologia difficultates enodandas multo visa est expeditior. Plerique enim hodie Nominalium incedunt semita, totamq; serm. è logicam actibus quibusdam obscuris & confusis involvunt, ex quibus sua Universalia, cateraq; inde pendentia conficiunt. Cum ergo modus hac in parte philosophandi juxta claram, ingeniosam, acutam, & nunquam satis laudatam D. Thomæ doctrinam, semper mihi visus sit præstantior, & ad intricatissima quæque declaranda accommodatior, eam hic pro viribus defendere, & via, quæ ad hoc mihi commoda videtur, illustrare conabor. Nihil in hac procedendi via confusi, nihil obscuri, clara omnia & aperta, dum res per sua prædicata sig. llatim evoluitur, & mentali quadam, ut ita dicam, anatomia, in partes quasi dissectatur, rursumq; ex iisdem compingitur.

Erunt fortasse, qui hunc philosophandi modum, aliaq; nonnulla hic tradita probent, erunt qui improbent: nec enim idem omni palato sapit cibus. Ita nimirum hominibus à natura est comparatum, ut non eodem perinde omnes delectentur, sed in contraria plerumque studia ferantur: & ut corpora variarum atque inter se pugnantium qualitatuum permixtione temperantur, ita animi diversis aguntur affectibus, & in id quod cuique placet, impetu quodam mentis, ac innato veluti pondere rapiuntur, in eoque tanquam in centro conqueſcunt: imò obfirmata sæpe tenacitate ita mordicus hærent ut Herculei laboris sit quemquam ab eo, quod semel animo inſedit, tantillum dimovere, atque deducere.

In neminem spontè incurro, nec enim mihi unquam placuit quorundam indoles, (quos tamen non paucos esse animadverto) quibus prima fuisse cura videtur aliorum dicta impetere, totisq; viribus contendunt, non ut ipsi bene, sed ut alij malè dixisse videantur: sicque nec quidquam stabiliunt ipsi, nec alios stabilire permittunt, cumque cæterorum omnium placita rejecerint, rem tandem in medio relinquunt; destruendi peritiores, quàm edificandi.

Accedit, quosdam nova in dies dogmata suo arbitratu cudere, veræ Philosophiæ legibus parum consentanea, quæ non tam sua vi ac robore, quàm aliorum silentio invalescunt, apud imperitiores præsertim, & in rebus Philosophicis minus versatos, qui fucatum à vero, sincerum ab adulterino non discernentes quicquid fulget aurum autumant: & siquid sit, quod novum quiddam & peregrinum sonet, ipso statim tinnitu placet, pronisq; illud auribus excipiunt, id nimirum unum spectantes, ut titillatione quadam animum demulceat, quàm firmum sit ac solidum, quàmque validis nitatur rationum momentis, nil pensi habent: non enim illud propius explorant, non seria & matura inspectione perpendunt, non ad calculos vocant Philosophicos, sed externa specie contenti, levi tantum oculorum conjectu pertranseunt, & hærent quasi in cortice: sicque lenocinijs quibusdam deliniti, in errorum Syrtes veluti Sirenium cantu pertrahuntur.

Hoc ergo malum ne ulterius serpat, nova hæc nonnullorum placita, occasione data, in hoc opere consutanda suscepi. Quamvis enim multi sa-

pientia

scientia & eruditione praestantes viri negligenda ea potius, & sponte sua
ruitura existiment, utpote nullo nixa fundamento, sicq; figmenta veriùs
quàm opiniones; cum tamen integrum hic Cursum Philosophicum tra-
dam, ubi frequens his de rebus occurrit mentio, ea penitus omittenda
non censeo, ne meum hac in re silentium tacita nonnullis videatur eorum
approbatio. Horum itaque, amice lector, confutationem, sicut & reliqua
omnia benevolo animo suscipe: quae utinam ad Dei Optimi Maximi
honorem, quem in Commentarijs hisce scribendis mihi scopum proposui,
tuamq; aliquam utilitatem cedant.

ALEXAN.